

*ticiis in 6.* Ubi inhibetur omni personæ laicæ similis disputatio sub poena excommunicationis *facienda*. Obligat tamen sub mortali, & comprehendit quemlibet laicum quantumvis doctum: quia est lex fundata in præsumptione non facti, sed periculi, quæ semper obligat, esto deficiat ejus finis privative in aliquo casu particulari; sed si deficiat contrarie, ut quando insultaretur fides catholica ab aliquo infideli, aut cum periculo deceptionis audientium, posset, immo deberet laicus vere doctus, deficiente clerico idoneo, disputare cum illo ad reprimendam ejus audaciam, & fidei injuriam propulsandam. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit, ait D. Th. cum S. Greg. 2. 2. q. 10. art. 7.

82. Omnibus etiam ecclesiasticis, sive sæcularibus, sive regularibus imperitis prohibitum est disputare cum hæreticis de rebus fidei, non ex vi prædictæ legis, quæ illos non comprehendit, sed ex vi legis naturalis, quæ prohibet se exponere perversioni, & fidem irrisioni cum adstantium scandalo, quod apud omnes est peccatum grave.

83. Solis igitur clericis, & religionis sufficienti scientia instructis communis sententia id concedit. Illis, inquam, qui dogmata, & controversias fidei apprimè callent, & sacra pollent eruditione. Prudens enim circumspectio necessaria est, ut quis cum hæreticis ad certamen exeat, & in arenam descendat, ipsorum quippe effugia plura sunt, argumenta sophistica, & magna astutia, omnique dolo plena eorum responsio.

84. Numquam debent catholici cum hæreticis de fide disputare coram Principe sæculari, qui ut Judex controversiæ assistere velit, licet enim Principes seculares adesse ut protectores æquum sit, etiam in Conciliis, aut Synodis, uti Constantinus M. in Concilio Nicæno; nusquam tamen ut Judices in causa fidei. Quia judicare de rebus fidei attinet ad Sacerdotes, non ab laicos. Qua ratione S. Ambrosius ad Imperatorem Valentiniano vocatus ad disputandum coram ipso cum Auxentio Episcopo Arriano; merito comparere noluit, sed ut sanctus, &

doctor Imperatori respondit: quod, inspecta serie scripturæ divinæ, ac veterum temporum, in causa fidei solent Episcopi judicare de Imperatoribus; non Imperatores de Episcopis.

## CAPUT II.

De vitiiis, &amp; peccatis fidei oppositis.

## РУКСТУМ I.

Notio, &amp; divisio infidelitatis.

85. Inq. 1. Quæ peccata tendant contra fidem? R. peccata commissionis, & omissionis: peccata omissionis tendunt contra præcepta affirmativa, & omittendo scire mysteria fidei, & elicere ejus actus internos, & externos temporibus assignatis. Peccata commissionis tendunt contra præcepta negativa, quæ violantur per infidelitatem, quæ est vitium primo fidei oppositum.

86. Inq. 2. Quid, & quotuplex sit infidelitas? R. infidelitas in communi est *carentia fidei*. Dividitur in *negativam*, *privativam*, & *positivam*. *Negativa* est *carentia fidei in illis, qui numquam de fide audierunt*. Hæc infidelitas non est peccatum, sed poena primi peccati. Infideles negativi salvari nequeunt, nisi fidei lucem prius consequantur; non tamen damnantur propter infidelitatem, quæ involuntaria est, sed ob alia peccata personalia, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. Unde ab Ecclesia damnata est propositio 68. *Baji: Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

87. *Privativa* est *carentia fidei in illis, qui, dum aliquid de fide saltem in confuso audierunt, non curant amplius audire, nec de ea inquirere*. Hæc infidelitas grave peccatum est, qui enim consulto negligit, & recusat inquirere, quod potest, & debet, abs dubio graviter peccat, verificaturque de illo: *Qui non credit, jam judicatus est. Joan. 5.* Hujusmodi sunt plures pagani, Turcæ, Saraceni, & similes, qui notitiam habentes veræ fidei, minime curant, vel potius resistunt illuminari.

88. Infidelitas positiva est *carentia fidei*

## Cap. II. De vitiiis, &amp; peccatis fidei oppositis.

*dei in eo, qui fidei sufficienter propositæ pertinaciter resistit, aut contrarium defendit*. Hoc proprie, dicit D. Thom. est infidelitatis peccatum, gravissimum quidem, cum per illud omnium virtutum fundamentum destruat. Hujusmodi sunt infideles viciniores Christianis, & sagaciores inter Mahometanos, & præsertim hæreticos, qui sufficientem fidei notitiam callentes, positive resistunt divinæ veritati.

89. Inq. 3. Quotuplex sit infidelitas positiva? R. est triplex: *Paganismus, judaismus, & hæresis*. *Paganismus* (qui ita vocatur a Pagis, eo quod Gentiles exibat a civitatibus ad Pagos pro Idolis colendis) est *recessus pertinax à fide non suscepta*. *Judaismus* est *recessus pertinax à fide suscepta in figura*. *Hæresis* est *recessus voluntarius, & pertinax a doctrina, & veritate fidei jam suscepta*.

Pro quo notandum est non intelligi definitiones de habitu fidei, aut de fide subjectiva, quia Judæi, nec plures hæretici habitum fidei unquam susceperunt, sicut nec adulti, qui cum aliquo errore baptizantur. Sed de fide objectiva: in hac autem susceptione fidei objectivæ conveniunt judæi cum hæreticis in admissione veteris testamenti, & distinguuntur in eo, quod hæretici admittunt etiam novum. Pagani vero neutrum testamentum admittunt, in quo conveniunt cum Turcis, quia licet isti aliqua veteris, & novi testamenti admittant, non tamen ut a Deo, sed a suo Mahometo tradita. *Atheismus* omnem scripturam, & Deum negat; sed convenit cum Paganismo in recessu pertinaci a fide non suscepta, quod est deformati ad infidelitatem: Unde *atheismus & Turcismus* comprehenduntur sub *paganismo*. Etiam comprehenditur *Polytheismus*, id est *pluralitas Deorum*; & *Deismus*, id est *Deus sine providentia*: Unde ejus falsi assertores dicuntur *Deistæ*.

90. Ex quibus constat divisionem infidelitatis positivæ in *paganismum, judaismum, & hæresim* tamquam in tres species infidelitatis esse adæquatam, ut docet Angelic. ubi supra art. 5. Vel enim quis recedit a fide non suscepta, & sic est *paganismus*, vel recedit a fide suscepta in figura, & sic est *judaismus*; vel recedit a fide in veritate suscepta, & sic

Tom. I.

est *hæresis*; sed ad istas tres species reducuntur omnes aliæ sectæ cum sola distinctione majoris, vel minoris erroris, & recessus, quod se habet de materiali ad fidem: erg. prædicta divisio est adæquata. Ex quo ulterius oritur, quod hæc diversitas debeat in confessione explicari. Item quod si *paganismum*, aut *judaismum* amplectatur catholicus, duplex peccatum specie distinctum contra fidem committit: alterum recessus a fide, alterum *judaismi*, aut *paganismi*, teneturque eas circumstantias in confessione aperire.

91. Inq. 4. Quantum, & quale sit peccatum infidelitatis positivæ? R. esse maximum omnium, quæ contingunt in pervertitate morum, excepto odio Dei. Ita D. Thom. art. 3. At inter ejus species, hæresis est absolute, & intensive peccatum gravius, quia majori luce, & cognitione resistit veritatibus fidei. *Paganismus* est gravius extensive, quia deficit a tota fide; *judaismus* autem potest dici peccatum omnium maximum, non quidem propter speciem infidelitatis, sed propter obstinatum odium in Christum Dominum, quod secum retinent, ut hereditarium illius perfidie a suis progenitoribus conclamata, *sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Matth. 27. 25.*

92. Quantumvis ex se illicita sit permissio habitandi infideles cum Catholicis, toleratur tamen a Principibus Christianis ex gravissimis causis, ob majus bonum religionis, vel vitandum gravius damnum: qua ratione etiam permitti potest libertas conscientiæ in aliquibus Provinciis, ne videlicet, volentes eradicare zizaniam, eradicent simul & triticum. Verum est, quod difficilium debet permitti habitatio hæreticis, quam paganis, & judæis: nam isti facillius in sua secta contineantur, minusque periculum perversionis inducunt. Vix, aut numquam auditum est Catholicum ad *judaismum* transisse, cum passim summo dolore audiamus transitum Catholicorum ad *hæreses*, vel ab ipsis seducti, vel a propria superbia, desiderii carnalibus, & amore libertatis arrepti.

93. Tolerantia judæorum inter Catholicos non est absoluta, sed quibusdam conditionibus. Prima, ut suos ritus non

S

exer-

exerceant cum scandalo Christianorum. 2. Ut novas Synagogas non erigant, possintque solum conservare antiquas in pristino statu. 3. Ut in die Parasceves in publicum non exeant, sed januas, & fenestras clausas habeant. 4. Ut signo aliquo distinctivo a fidelibus utantur.

## PUNCTUM II.

## De potestate Ecclesie in hæreticos, &amp; infideles.

94. Certum est dari in Ecclesia potestatem ad compellendos hæreticos, & apostatas, ut adimpleant fidem, quam in baptismo susceperunt: sunt enim spiritualiter subditi Ecclesie. Propter eandem rationem possunt infideles temporaliter subditi compelli ab Ecclesia, ut audiant mysteria fidei, doctrinamque Evangelicam. Hoc patet exemplo Judæorum Romæ habitantium, qui obstricti sunt semel in hebdomada ad fidem Evangelicam audiendam. Ex opposito vero nulla datur in Ecclesia potestas compellendi infideles non subditos ad audiendam Evangelii doctrinam: quia compulsio supponit jurisdictionem; sed Ecclesia non habet jurisdictionem in infideles non subditos: ergo ad id non potest eos compellere. Nec similiter ad suscipiendam fidem potest cogere infideles etiam subditos: quia credere voluntatis est, & fides spontanea debet esse, non coacta.

95. Habet tamen Ecclesia potestatem ad coercendos vi, & armis Principes infideles impediens aperta persecutione, aut blasphemis Evangelii Prædicatores: quia Ecclesia habet potestatem docendi omnes gentes, & prædicandi Evangelium omni creaturæ: ergo etiam ad coercendum eos, qui injuste illam impediunt. Ita D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. Unde Alexander VI. Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabethæ, & Regibus Portugallie concessit privilegium defendendi Prædicatores evangelicos Indis fidem annuntiantes: quod ut feliciter præstare possent, Hispanis Occidentalem, Lusitanis Orientalem Indiam destinavit.

96. Quapropter si pacifice semel, & iterum rogati nolint infideles acquiescere prædicationi, sed efferati, & insolentes

contumeliosi, & vexationibus resistant, potest Ecclesia suos mittere concionatores evangelicos militibus stipatos, ut illos defendant, & tueantur. Verum ipsi prædicatores patientia, humilitate, & mansuetudine armati doctrinam evangelicam annunciare debent, ut discipuli Christi, qui orbem domuit, non ferro, sed ligno.

97. Licet Ecclesia non possit directe privare Principes infideles jurisdictione personali, & reali in subditos, nec dominio in servos Catholicos: quia omnes obedire debemus Principibus legitimis, etiam discipulis; nec aliquis privilegio, aut prætextu religionis eximere se valet a suo Principe etiam infideli; nihilominus, si subditi Catholici vexentur injuriis, contumeliis, aut malis artibus, ita ut periculum imminet perversionis, potest Ecclesia indirecte spoliare infideles eorum dominio, & jurisdictione: quia infideles suscipientes fidem catholicam sunt spiritualiter subditi Ecclesie: ergo potest eos defendere, ne pervertantur; aut retrahantur a fide: & quando ad hoc necessum fuerit eximere eos a potestate infidelium. Ita D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10.

98. Inquires: An Ecclesia possit cogere infideles ad relinquendos errores, & ritus contrarios rationi naturali, & ob id eis bellum inferre, regnisque privare? R. cum distinctione: nam vel sunt subditi Ecclesie, aut Principis Catholici, aut non? Si primum, potest, & debet: quia Principis munus est subditos taliter regere, ut vita, & mores eorum non opponantur rationi naturali. Ideoque omnis Princeps, etsi Ethnicus tenetur obligare subditos, ut deserant errores, & ritus, non quidem fidei catholice contrarios, ut sunt ritus judæorum, & alii qui sarracenorum, sed juri, & lumini naturali oppositos, ut idolatriam, homicidia, adulteria, furti, & similia. Si secundum, nec debet, nec potest: quia bellum justum solum est, vel ad propulsandam injuriam, vel ad subditos coercendos; sed infideles, de quibus loquimur, distis erroribus nullam injuriam irrogant Ecclesie, nec subditi illius sunt: Ergo hæc nullam in eos habet obligationem, & potestatem. Ita D. Thom. ibi. q. 12. art. 2. laudans Apostolum 1. ad

Co-

Corinth. 5. Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare.

99. Ex dictis sequitur 1. nullum Principem Catholicum posse inferre bellum infidelibus, precise quia infideles sunt: Ut patet ex textu Apostoli proxime citato. Sequitur 2. posse Ecclesiam, aut quemlibet Principem Christianum Turcam debellare, maximam enim actualiter injuriam infert Ecclesie. Tum quia occupat per violentiam terras Christianis debitas. Tum quia Christiani nominis perpetui, & jurati hostes sunt: adeo ut pro religione habeant tantum nomen delere. Utinam Christiani Principes pro religione sumerent Turcam a terris, quas ab ipsis usurpatis injustissime possidet, gloriose debellare!

100. Sequitur 3. Nullum Principem posse licite bellum inferre, nec privare regnis infideles, licet tyrannice gubernent, quando illorum legitima possessione gaudent: quia tyrannica gubernatio non est justa causa deturbandi Principem a sui regni legitimo dominio, & possessione.

## PUNCTUM III.

## De communicatione cum infidelibus.

101. Triplex potest dari cum infidelibus communicatio: *Formalis, sacra, & civilis*. Prima est in ipsis operibus infidelitatis, ut in eorum cæmioniis, ritibus, & sacrificiis. Et hæc prohibita est jure naturali, & divino juxta Apostolum 2. ad Corinth. 6. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli?*

102. Inq. An sit licitum Christianis vendere infidelibus ea, quibus ad falsos ritus, & sacrificia abutuntur? R. Vel talia sunt ex se determinata ad cultus superstitiosos, vel ex se sunt indifferentia ad illos, aut alios usus licitos: Si primum, nullo modo est licitum: ut fabricari idola, edificare mezquitas, componere vestes Sacerdotales, & similia, quæ per se, & ab intrinseco sunt mala: utpote determinata ad superstitutionem. Si secundum, licitum est, sicut gladios, sa-

gittas, lactucas agrestes, agnum vendere, & similia, quibus infideles bene uti possunt, & si male utantur, eorum vitio tribuitur. Ita D. Thom. ibi. q. 169. art. 2. ad 4.

103. Secunda dicitur communicatio sacra, hoc est, in operibus nostræ religionis, circa quam prohibitum est fidelibus communicare cum infidelibus in sacramentis, & sacrificiis. Unde illicitum est, & nullum matrimonium fidelis cum infideli. Ad missæ autem sacrificium tantum potest admitti infidelis non excommunicatus, si adsit spes conversionis illius. Item ad missam Cathecumenorum, hoc est usque ad offertorium, ad conciones, & orationes privatas.

104. Tertia communicatio est civilis, & politica, quæ jure divino, & naturali non est prohibita; jure tamen ecclesiastico in decem casibus vitata est cum Judæis, sub poena excommunicationis laicis; clericis vero sub poena depositionis: ut constat ex cap. *Nullus*. Et ex cap. *Omnes* 28. q. 1. & cap. *Judei* 2. de *Judæis*.

105. Prohibetur ergo 1. cohabitatio in eadem domo cum Judæis. 2. Judæos invitare, aut ad eorum convivia accedere. 3. Vesci eorum azimis. 4. Simul cum eis in balneo se lavare. 5. Ab eis medicinas accipere. 6. Eis medicis uti. 7. Eorum filios nutrire in suis domibus. 8. Eis famulatum præstare. 9. Servitutis vinculo eis subijci. 10. Judæos hæredes suos, aut legatarios instituire. Hæc prohibitio licet nominatim loquatur de Judæis, tamen extenditur ad Mahometanos, & Sarracenos, quia talis extensio apponitur claris textibus Juris utriusque.

106. Sed circa singulos casus aliqua breviter adnotare oportet. In primo de *cohabitatione*, minime veritum est Christianos habere servum Judæum aut Sarracenum; immo hoc permittitur cap. *Judei de Judæis*: Unde communis praxis ubique recepta probat licitum, saltem quoad Sarracenos, cum eos passim videamus habitare, ut servos in domibus fidelium. De servis Judæis non est ita compertum apud D. D. Sed si bene pendatur, eadem ratio est de utrisque, licet familiaritas eorum ab omnibus cavenda sit. In secundo de *conviviis*, so-

lum

lum prohibetur eos invitare, & ad convivia eorum accedere ex condito; non vero si casualiter acciderit, dummodo semper despiciatur epularum distinctio apud Judæos superstitiose observata. In 3. de azymis prohibetur illa edere ritu Judaico, aut aliorum scandalo; interveniente autem necessitate, & præciso scandalo, licitum est catholicis eis vesci, ut dictum est de Idolothytiis.

107. In. 4. de ingressu in balneum, tantum prohibetur, ne Christiani ut socii, & familiariter illuc conveniant; non vero si casualiter, & fortuito sanitatis gratia ingrediantur. In 5. & 6. in quibus prohibentur medicina, & medici Judæorum, non est intelligenda prohibitio in casu necessitatis: in quo etiam casu possunt emi a Judæis medicinæ. Quod dicitur de medicis Judæis, intelligitur de chirurgis, quibus vetitum est scindere venam, aut applicare quamlibet medicinam. Et licet non extendatur prohibitio ad barbitonsos, caveant nihilominus catholici ab eorum manibus. In 7. prohibetur nutricibus Christianis alere infantes hæbreorum in eorum domibus, non tamen eis prohibetur semel, aut iterum honesta causa interveniente eos lactare. Nec intelligitur prohibitio, si filios hæbreorum extra illorum domus lactare habitualiter contingat, si enim Alexander III. hoc intenderet, sileret particulam in eorum domibus: quam apponit in suo decreto cap. Ad hæc, de Judæis.

108. In 8. & 9. casu de famulatus, & de servitutis prohibitione, intelligenda est de famulatu, tam intra, quam extra domum Judæi, sive frequens, & diuturnus, sive interpolatus sit. Non enim decet Judæos superiores Christianis esse, & filios liberæ filii ancillæ inseruire. Terras vero Judæorum colere non est signum famulatus, aut servitutis: quæ ratione coloni, operarii, & alii opifices non comprehenduntur in hac prohibitione. In 10. de non instituendo Hebræos hæredes, aut legatarios, intelligitur in ordine ad eorum collegia, & universitates, potestque extendi ad personas singulares, cum extensio hæc cedat in favorem fidei. Extra casum extremæ necessitatis nihil potest relinqui Judæis, & Paganis, licet consanguinei sint testato-

ris. Catechumeni in hac prohibitione non comprehenduntur: quia inchoative fideles sunt.

106. Unde seclusa familiaritate, & periculo perversionis licita est communicatio civilis cum Judæis, & infidelibus in aliis mercibus, & contractibus extra casus enumeratos: quia exceptio firmat regulam in contrarium; in prædictis autem casibus solus Pontifex potest dispensare, cum sit lex ab ipso lata; verum urgente necessitate possunt etiam Episcopi ex benigna interpretatione Legislatoris.

110. Inq. 2. An Princeps catholicus possit in bello justo vocare in auxilium hæreticos, aut gentiles? R. quod si bellum justum feratur contra infideles, licitum est. Constat ex sacra pagina: nam Abraham secum duxit in bellum Abner, Eschol, & Mambre contra alios Gentiles. Genes. 14. 13. Et idem cernitur in Machabæis lib. 1. cap. 8. Si vero bellum sit contra alios Catholicos, illicitum est; quia ex tali fœdere plurima oriuntur scandala, violationes ecclesiarum, profanationes templorum, sacrarum imaginum irrisiones, aliaque horribilia, quæ vix calamus audeat scribere, & adhuc deflet Hispania.

#### PUNCTUM IV.

##### De hæresi.

III. Inq. 1. Quid sit hæresis? R. est error voluntarius, et pertinax contra aliquam veritatem fidei jam receptam. Dicitur error, hoc est assensus falsus, voluntarius, quia sine voluntate non est peccatum. Pertinax, hoc est, quod sciens definitionem Ecclesiæ illi dissentiat. Contra aliquam veritatem, quia, si contra omnes erat, erit apostata. Fidei jam receptæ, quia si prius eam non recepit: erit Paganus, aut Judæus. Hæresis est vox græca significans electionem, & dicitur ab eligendo, sicut secta a sectando: quæ ideo in idem coincidunt. Et licet hæc nomina aliquando in bonam partem usurpentur: tamen ex communi usu jam frequentius in malam assumuntur.

112. Inq. 2. An qui metu, vel sine illo Idolis thus offerret; vel aliquid aliud

con-

contra fidem faceret absque errore interiori, esset hæreticus? R. neg. quia hæresis consistit in voluntario dissensu, & errore interiori contra veritatem fidei: ergo hoc deficiente, deficit hæresis: unde nec poenas positas hæreticis in foro interiori incurreret; licet in foro exteriori, ut hæreticus censeretur, & puniretur.

113. Inq. 2. An hæreticus sit, qui blasphemias, & gravissimas tentationes contra Deum, & sanctos involuntarie patitur? R. neg. quia deficit consensus; imo hoc est evidens signum non esse hæreticum, cum isti nec patiantur inviti similes tentationes, nec judicant se esse hæreticos. Quare aptior modus eas vincendi est prorsus eas despiciere, vel ad alia se divertere; nisi sit in officio divino, aut alia actione sacra: quia tunc curet agere fervide, quod agit, contemnendo similes cavillationes.

114. Inq. 3. An dubius in fide sit hæreticus? R. quod dubium potest esse duplex; positivum, aut affirmativum, vel negativum, aut suspensivum. Affirmativum datur, quando sciens Ecclesiam docere aliquid mysterium, dubitat de ejus certitudine. Negativum vero, quando occurrente dubio suspendit iudicium: Igitur dubitans positive, aut affirmative censetur hæreticus: quia virtualiter saltem iudicat, testimonium Dei non esse infallibile, aut definitionem Ecclesiæ non esse fidei certam regulam. Sed dubitans negative, aut suspensive non est hæreticus; maxime in personis timoratis, quæ suggestionibus contra fidem agitata, suspendunt iudicium, quod aliquando melius est, quam pugnare contra illas. Et divinitate dubii, & personæ resolutio prudens expectanda est.

115. Inq. 4. An, qui divinæ revelationi privatæ non credit, sit hæreticus? R. affirm. quia non credens veritati sibi ab Ecclesia sufficienter propositæ, est hæreticus: ergo etiam qui non credit Deo sufficienter veritatem proponenti. Verum est, quod talis non subjacet poenis hæreticorum: quia in foro exteriori non contradicit Ecclesiæ. Dicitur intelligi de ipso, cui fit revelatio, non de aliis, quibus ipse eam refert, & non credunt; non enim astringuntur credere ei, nec ad fi-

Tom. I.

dem pertinet.

116. Inq. 5. An negans propositionem theologicam immediate deductam ex alia de fide: Christus est visibilis, deducta ex hac, Christus est homo, sit hæreticus? R. neg. quia non est propositio a Deo immediate revelata, ad quam solum terminatur fides; nihilominus in foro exteriori, ut hæreticus puniendus esset: quia saltem suspectus de hæresi esset, & tribuit fundamentum ad iudicandum illum formaliter hæreticum.

117. Inq. 6. In quo consistat pertinacia requisita ad hæresim? R. consistere in eo, quod quis deliberatè dissentiat veritati fidei sufficienter sibi propositæ: unde pertinacia non requirit temporis moram, sed potest in instanti consumari: ut si plene advertens teneat quis aliquid Ecclesiæ determinationi contrarium: tunc enim verè est pertinax in suo errore; licet postea illum poeniteat.

118. Ex quo oriuntur quatuor: 1. esse hæreticum, qui sentit aliquid contra determinationem Ecclesiæ, paratus tamen corrigi ab ea, si argumentis convincatur: quia hic non credit motus autoritate Ecclesiæ, sed argumentorum efficacia. 2. Esse hæreticum, qui ita assentitur fidei catholice, ut si inveniret aliam fidem meliorem, illam amplecteretur: quia hic non firmiter credit certitudinem nostræ fidei. 3. Esse hæreticum, qui ita pertinaciter propriæ opinioni adheret, ut non sit paratus eam deponere, licet Ecclesia contrarium definiret: quia iste auctoritatem Ecclesiæ contemnit. 4. Esse hæreticum, qui respuit veritatem, quam ex errore iudicat esse ab Ecclesia definitam: quia hic non credit Ecclesiam esse certam regulam nostræ fidei.

119. Inq. 7. An sit hæreticus, qui dissentit rebus fidelibus, quas ut credendas sibi sufficienter proponit Episcopus, vel fidei Inquisitor, licet dicat se non putare in hoc Ecclesiæ contravenire? R. affirm. quia dissentiens positive veritatibus fidei sibi sufficienter propositis a ministris Ecclesiæ, infidelis est; sed non Judæus, aut Paganus: erg. hæreticus. Nec favet illi dicere, se non putare in hoc contravenire Ecclesiæ: quia in hoc ipso pertinax est, non amplectens quod

Tt

si.

sibi sufficienter proponitur: alias nullus esset hereticus pertinax, quia omnes dicunt, vel putant in suis erroribus non contravenire veræ Ecclesie, esto non desint, qui veritati agitate resistant.

120. Inq. 8. An, ut aliquis sit formaliter hereticus, requiratur, quod fidem receperit per verum baptismum? R. neg. quia malitia heresis consistit in eo, quod quis dissentiat deliberate veritati divinæ revelatæ; sed neque potest dissentire veritati divinæ, qui non suscepit baptismum, ac qui illum recepit: ut ex se patet: ergo ad hæresim susceptio baptismi non requiritur. Unde Cathecumenus nondum baptizatus recedens a fide est interior formaliter hereticus. Similiter, qui bona fide recepit baptismum invalidum ob aliquem defectum materiæ, aut formæ, vel intentionis ministri, si postea recedat a fide, est formaliter hereticus. Contrarium accideret, si absque intentione recipiendi fidem, & baptismum, baptizaretur: iste enim recedens a fide non esset hereticus: quia neque interior, nec exterius umquam fidem suscepit.

121. Inq. 9. An Cathecumenus, & alii fide recipientes baptismum, possint ab Ecclesia puniri, si a fide recedant? R. I. Nullum non baptizatum posse puniri ab Ecclesia ut hereticum: quia baptismus est janua, per quam ingreditur ad Ecclesiam, & per quam Ecclesia acquirit jus: ergo nulla datur jurisdictio in Ecclesia supra non baptizatos. Et licet Cathecumenus sit de corpore Ecclesie invisibili, non vero visibili, quod erat necessarium, ut posset ab ea exterius judicari, & puniri.

122. R. 2. Ecclesiam non posse punire ut hereticum bona fide baptizatum, invalidè tamen ob defectum materiæ, aut formæ, licet postea incidat in errorem contra fidem, dummodo certa scientia habeatur de baptismi nullitate: ratio est eadem: quia videlicet hic per januam baptismi nullo modo ingressus est in Ecclesiam. Si vero nullitas baptismi ignoretur, punietur quidem, quia præsumptio militat contra illum. Ob idem fundamentum si quis absque intentione recipiat fictum baptismum, potest ut hereticus ab Ecclesia puniri, si in errorem

labatur: quia præsumitur vere baptizatus, cum illius fictio Ecclesie innotescere non possit.

## PUNCTUM V.

## De apostasia a fide.

123. Inq. 1. Quid sit apostasia? R. Est recessus hominis baptizati a tota fide. Quæ definitio sufficienter liquet ex dictis de hæresi, & simul patet differentia inter apostatam, & hereticum, quod hic habet errorem contra aliquam veritatem fidei; apostata vero omnes, aut saltem principales negat.

124. Inq. 2. An apostasia differat specie ab hæresi? R. neg. quia idem est objectum specificum utriusque, cum sola diversitate majoris extensionis, quæ de materiali se habet ad speciem infidelitatis. Si autem apostata amplectatur paganismum, aut judaismum, jam ab hæresi differt specie apostasia, non ut apostasia, sed ut judaismus, aut paganismus: transit enim ab una specie infidelitatis ad aliam. Apostasia igitur ut talis solum addit circumstantiam aggravantem supra hæresim. Ita D. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. ad 3. Ubi dicit: *Unde apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quandam circumstantiam aggravantem.*

125. Nec audiendus est quidam junior, qui dicens: hunc textum non favere Salmanticensibus, contendit illum explanare; sed potius obnubilat. Si enim aperte D. Thomas docet apostasiam esse *quandam circumstantiam aggravantem*: proculdubio erit alicujus speciei infidelitatis, non paganismi, aut judaismi: ergo hæresis. Aliud est apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis per ordinem ad terminum ad quem, potest enim contrahi per paganismum, vel judaismum; sed ex conceptu apostasie solum dicit recessum a tota fide, in quo non differt specie ab hæresi, quia magis, & minus non variant speciem: ergo doctrina Salmanticensis vera est, utpote de mente Ang. Doctoris.

126. Inq. 2. An Princeps propter apostasiam a fide amittat dominium in subditos? R. affirm. supposita excommuni-

atione contra illum denunciata. Ita D. Thom. ubi supra art. 2. dicens: *Quia homo apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat, intendens hominem separare a fide: & ideo quam cito aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.*

## PUNCTUM VI.

## Divisio, &amp; pœna hæresis.

127. Inq. 1. Quotplex sit hæresis? R. est imprimis duplex: *materialis* nempe, & *formalis*. Materialis est, cum quis aliquid credit, aut profert, nesciens esse contra fidem. *Formalis* est, quando quis aliquid credit, aut profert, sciens esse contra fidem. Hæresis materialis licet aliquando possit esse peccatum, ut si catholicus ignorantia vincibili erraret contra fidem; non tamen est proprie hæresis. Deinde alia est *pure interna*, alia *pure externa*, & alia *mista de interna, & externa*. Hæresis *pure interna* est, quando error est in mente, sed nullo modo manifestatur. *Pure externa* est manifestatio hæresis, quæ non est in mente. *Mista* est, quando error habitus in mente sufficienter manifestatur.

128. Denique hæresis alia est *manifesta per se, & occulta per accidens*; alia *manifesta omnibus modis*. Hæc adest dum profertur hæresis coram aliquo, vel aliquibus. Illa vero dum a nemine videtur, nec auditur; ut si quis solus in cubiculo clauso ostio diceret: *Christus non est Deus*, vel ex eodem errore ejus imaginem flagellaret. Est *manifesta per se*, quia ex se habet, quiddam requiritur, ut probetur. Est *occulta per accidens*, quia nequit probari ex defectu testium.

129. Inq. 2. Quæ sint pœnæ contra hereticos? R. Adsunt pœnæ spirituales, & temporales. Spirituales sunt quinque. 1. est excommunicatio major *lata sententia*. 2. Est irregularitas. 3. Est privatio potestatis spiritualis non ordinis, sed jurisdictionis. 4. Est privatio beneficiorum, & officiorum, & inhabilitas ad ea postmodum obtinenda. 5. Pœna heretici

publici est privatio sepulturae ecclesiasticae.

130. Pœnæ temporales hereticorum sunt quatuor. 1. Est confiscatio omnium bonorum. 2. Infamia, & inhabilitas ad honores, dignitates, & officia. 3. Carcer perpetuus. 4. Pœna mortis ad cuius executionem, supposita degradatione, si opus fuerit, traditur reus brachio sæculari. Plurima circa has pœnæ discutuntur ab authoribus; sed quia plerumque sunt ab instituto morali aliena, tantum de prima pœna spirituali, nempe excommunicatione sequenti puncto agemus.

## PUNCTUM VII.

## De excommunicatione contra hereticos lata.

131. Inq. 1. An hereticus pure internus subiaceat excommunicationi contra hereticos late? R. neg. quia Ecclesia non judicat de occultis, aut de actibus pure internis. Nec hereticus pure externus illam incurrit; quia talis nihil credit contra fidem, nec habet errorem in mente. Nec denique illam incurrit, qui errorem internum manifestat sine peccato, ut pro capiendi consilio, vel pro peccato hæresis mere internæ confitendo. Solum igitur hereticus internus, ac simul externus illam incurrit, quia talis proprie, & complete est hereticus.

132. Inq. 2. An hereticus manifestus per se, & occultus per accidens, ut qui nemine præsentè ex errore interiori Christum conculareret, aut sacramenta profanaret, vel suum errorem externe profert, incurrat excommunicationem? R. affirm. quia Ecclesia potest judicare, & punire crimina externa; sed hoc est crimen externum: ergo potest illud Ecclesia judicare, & punire pœna excommunicationis.

133. Objic. 1. Ex cap. Tua, de simonia. Ecclesia non judicat de occultis; sed prædictum crimen est occultum: ergo non potest illud judicare, & punire. R. distinguo majorem, Ecclesia non judicat de occultis per se, hoc est, de internis, concedo majorem; de occultis per accidens, & manifestis per se, nego majorem. Igitur occulta per se sunt actus pu-

pure interni, quos Ecclesia non iudicat. Occulta vero per accidens sunt actus externi, qui revera manifesti sunt per se, & hos Ecclesia potest iudicare, & iudicat.

134. Objic. 2. Ecclesia non potest iudicare, quod non potest probare, sed hæresis occulta, licet externa, non potest probari ab Ecclesia: ergo neque ab ea iudicari. R. non potest Ecclesia iudicare per sententiam particularem, quod non potest probare, concedo maiorem; per sententiam generalem, nego maiorem. Itaque ad usum jurisdictionis punitivæ per sententiam particularem requiritur actualis cognitio, vel probatio causæ, aut delicti; non vero ad usum jurisdictionis punitivæ per sententiam generalem: quia hæc profertur sub conditione, quod crimen fiat, ac proinde satis est perpetrari delictum, ut poena incuratur.

135. Inq. 3. Quæ verba, aut signa sint sufficientia ad hæresim internam manifestandam, ita ut hæc profertur, aut eliciens sit hæreticus tam internus, quam externus? R. duo ad huc requiruntur: *primum*, quod signum sit completum, & adæquatum, ad hæresim internam exprimendam, sive ex se, sive ex consuetudine, sive ex circumstantiis temporis, loci, aut personæ hoc habeat: quia hæresis interna debet fieri sensibilis, & externa per signa complete, & integre eam manifestantia. *Secundum*, quod verba, aut signa sint ex se peccatum mortale in materia hæresis: quia ut diximus, excommunicatio major non incurritur nisi ob culpam gravem externam.

136. Inq. 4. An qui credens sacramenta non conferre gratiam volens hoc exprimere, dicat: *Ita est*, aut *sic credo*, sit hæreticus externus? R. negat. quia prædicta verba non plene hæresim internam significant, neque ex eis colligi potest, de qua re loquatur. Verum si aliquis mentaliter credens Christum non esse Deum, interrogatus an hoc ita sit? dicat, *ita credo*, abs dubio hæreticus externus est: quia talia verba ex circumstantiis interrogantis, & erroris interioris ad hæresim internam significant.

137. Inq. 5. An qui verbis equivocis hæresim internam manifestat, incurrit excommunicationem? R. affirm. quia illa

verba plene significant hæresim internam, licet per accidens occultam ob aliam significationem, per quam forte excusatur in foro exteriori; sed coram Deo, & pro interiori excusationem non habet. Oppositum dicendum est de illo, qui hæresim scriberet in aqua, quia tunc hæresis adhuc manet in mente. Nec similiter esset hæreticus, qui manifestaret se aliquando fuisse hæreticum.

138. Qui profert in somnis hæresim mentalem prius conceptam, licet graviter delinquat, si antea expertus, & prævidens manifestationem, non adhibuit sufficientem diligentiam ad eam retractandam, non tamen est hæreticus externus: quia talis prolatio neque est humana, nec actualiter nascitur ab hæresi interiori, sed a prava consuetudine.

139. Item, qui legit, transcribit, aut disputando pronuntiat hæresim, quam habuisse antea fateatur, non est hæreticus externus, quia verba illa non manifestant præsentem hæresim; sicut qui refert se antea occidisse, non dicitur actualiter occidere. Nec hæreticus exterior esset, qui iudicans furtum, mendacium, aut simile peccatum esse prorsus licitum, animo hæreticali illud committeret, quia hæc actio ex se hæresim internam non manifestat. Nihilominus dantur aliquæ actiones ex se manifestativæ hæresis interioris; pro quibus.

140. Inq. 6. An qui ex errore circa mysterium Incarnationis verberaret Christi imaginem, vel ex errore Anabaptistarum aliquem rebaptizaret, esset hæreticus manifestus? R. affirm. quia prædictæ actiones satis hæresim mentalem manifestant, & magnam hæresis suspicionem gignunt: Unde sequitur quod, si quis, hæretice credens nunc licere polygamiam, seu plures uxores habere, secundum matrimonium mala fide contrahat, sufficienter hæresim mentalem manifestat.

#### PUNCTUM VIII.

*Alia dubia de eadem materia.*

141. Inq. 1. An ignorantia excuset ab hæresi, & ab incursione censuræ? R. 1. ignorantiam crassam, aut supinam excusare ab hæresi, & a poenis contra hæ-

reticos latis, quia sic ignorans, non contravenit pertinaciter auctoritati Ecclesie.

R. 2. si ignorantia affectata proveniat ex voluntate liberius errandi, seu contradicendi Ecclesie, ejusve auctoritatem parvi pendendi, non excusat a censura: quia sic ignorans renuit se subicere Ecclesie, ejusque auctoritatem contemnit, & consequenter est hæreticus. At si ignorantia affectata procedat ex pigritia, tædio, aut negligentia sciendi veritatem excusat ab hæresi formali, & a censura incurrenda, quia sic ignorans vere non est pertinax contra Ecclesie auctoritatem; sed supponitur paratus ad corrigendum suum errorem, quando sciat opponi doctrinæ Ecclesie.

142. Objic. Qui sic affectat ignorare, errare affectat; sed affectans errare, vult Ecclesie contradicere: ergo est hæreticus formalis. R. quod affectans errare ad summum contradicit Ecclesie indirecte, directe vero obligationi sciendi, ex cujus omissione sequitur error, non autem pertinacia necessaria ad hæresim. Si autem affectet ignorantiam, ut liberius erret, jam scit se errare, & ex hac parte erit hæreticus.

143. Objic. 2. Ignorantia affectata peccatum non minuit, sed auget, æquivalente scientiæ in omni materia: ergo æque erit hæreticus, qui cum illa, aut cum scientia errat. R. negligentiam sciendi aggravare peccatum omissionis, non vero errorem hæresis, quæ nequit dari absque tali scientia: hæc enim se habet tamquam circumstantia ex parte objecti ad hæresim constituendam, quod non contingit in aliis peccatis, in quibus ignorantia affectata æquale scientiæ.

144. Inq. 2. Quinam dicantur credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum? R. illi dicuntur *credentes*, qui hæreticorum errori assentiunt, sive in communi, sive in particulari, dummodo consensus signis externis manifestetur: Unde vere sunt hæretici, & excommunicationem contra hæreticos incurrun. Dicuntur *fautores*, qui hæretico, ut tali favore præstant, vel omissione, vel commissione, ut si quis interrogatus veritatem celaret, vel non denuntiat, cum debet, vel laudat hæreticum ut probum, aut justum. Appellan-

*Tom. I.*

tur *receptatores*, qui hæreticum quomodocumque recipit hospitio, vel in sua domo, vel aliena, etiam si semel dumtaxat hoc efficiat. Demum nominantur *defensores*, qui hæreticorum personas, erroresque defendunt. Omnes isti excommunicationem, & alias poenas incurrun, si credunt, favent, recipiunt, defendunt hæreticos, ut tales, vel in causa fidei, effectu secuto. Non vero si eadem præstent illis ratione consanguinitatis, amicitie, vel urbanitatis, vel alterius causæ extra religionem: quia lex loquitur de hæreticis formaliter talibus.

145. Inq. 3. Quis possit absolvere ab hæresi? R. solus Papa valet absolvere ab hæresi formali externa quantumvis occulta in foro interno, excepto periculo, seu articulo mortis. In hoc autem quilibet Sacerdos, sive hæreticus, sive degradatus in defectu alterius absolvere potest ab omnibus censuris, & peccatis, ut fusiùs dicitur in tract. de poenis. Si vero hæreticus comparens coram Episcopo, aut Inquisitoribus, ubi adsunt, abiret suos errores, poterit ab eis absolvi pro utroque foro, ut ait Bened. XIV. in *Synod. lib. 9. cap. 4. an. 5.*

146. Inq. 4. Quid agere debeat hæreticus pro absolutione in foro interno? R. Debet recurrere suppresso nomine ad sacram Pœnitentiarium pro obtinenda facultate, ut absolvatur a quolibet Confessario approbato, vel debet comparere coram Episcopo, aut uno saltem Inquisitore, & Notario, ut abjurata hæresi, possit a quocumque Confessario absolvi. Aliter quippe neque ab Episcopo, neque ab Inquisitoribus absolvi valet, nisi præmissa abjurazione, ut docet laudatus Pontifex loco citato.

147. Bulla cruciatæ non tribuit facultatem pro hæresi absolvenda, imo licet in alia quavis Bulla, vel jubilæo concedatur facultas absolvendæ ab omnibus delictis, & censuris Pontifici reservatis, nunquam intelligitur concessa facultas pro hæresi, nisi specialis mentio de ea fiat. Ita declaravit Gregorius XIII. in motu proprio, *Officii nostri partes*, expedito die 22. Septemb. 1576. Alex. VII. & alii Pontifices.

Vv

PUNC,

## PUNCTUM IX.

## De obligatione hæreticos denunciandi.

148. Inq. 1. Quid sit denuntiatio? R. Est delatio criminis facta Superiori. Alia est evangelica, alia judicialis. Evangelica est, quæ fit Superiori, ut patri, & ordinatur tantum ad emendam proximi. Judicialis est, quæ fit Superiori, ut iudici, & ordinatur ad delicti punitionem, & de hac loquimur in præsentibus. Duplex etiam intervenit differentia inter accusationem, & denuntiationem: Prima, quod accusator debet probare delictum, cum sit pars in iudicio petens; secus vero denunciator, cum solum manifestet iudici crimen. Secunda, quod accusator petit vindictam delinquentis; sed denunciator nihil a iudice petit, relinquens ejus conscientiam, & officio, ut agat, quod sibi convenientis visum fuerit.

149. Inq. 2. An tenearis denunciare hæreticos, si non vales probare tales esse? R. affirm. constat ex propositione 5. damnata ab Alexand. VII. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non tenearis denunciare, si probare non possis. Constat etiam ex distinctione posita inter accusatorem, & denuntiatorem. Ille enim, non hic, tenetur probare delictum. Nec prætextu correctionis fraternæ valet quis excusari a denuntiatione hæretico, ut patet ex constit. Licet alias, ejusdem Pontificis. Constat denique obligatio hæreticos denunciandi ex pluribus aliis decretis Apostolicis, & ex edicto generali sanctæ Inquisitionis.

150. Itaque omnes habentes notitiam (extra sigillum confessionis) quod aliquis est hæreticus formalis sufficienti fundamento fultitiam, tenentur illum quanto magis denunciare sub poena excommunicationis lata sententiæ, etiam si emendatus, vel mortuus sit, & hoc intelligitur, licet sint patres, filii, uxores, fratres, vel qualibet conjunctione uniti; quia hæresis est peccatum ex se tendens in damnum commune Ecclesiæ, quod nihil libet damno particulari præferri debet.

151. Et quamvis Cardinales, Patriarchæ, Episcopi, & Nuntii apostolici sint exempti a jurisdictione Inquisitorum, ni-

hilominus denunciandi sunt Inquisitoribus, ut ipsi de prudenti remedio provideant: ut colligitur ex cap. Inquisitores in 6. Circa supremos Principes sæculares provide sentiunt doctores, quod licet Inquisitorum jurisdictioni subjaceant, caute cum illis agendum esse, consulendumque prius summum Pontificem, ut plura videntur inconvenientia.

152. Omitteas denuntiationem incurrit excommunicationem ipso facto, a qua nullus absolvere illum valet, nisi prius denuntiet, & est de hæresi suspectus, semper ac deliberate, aut culpabiliter denuntiationem omittat. Nilominus si poenitens ignorabat obligationem denunciandi, & serio, ac firmiter proponat quocumque post confessionem suæ obligationi satisfacturum, potest absolvi: quia supponitur ex una parte non incurrisse excommunicationem, & ex alia esse vere dispositum.

153. Duo tamen notanda sunt. Primum, a nemine posse denunciari illum, quem aut ex levibus inditiis suspicatur esse hæreticum, aut a parum fide dignis hoc audivit: quia nullus debet exponi periculo infamie absque gravi fundamento. Secundum, denuntiationis præceptum solum tenere, prout nunc, de hæretico proprio, & pertinaci. Unde minime est denunciandus homo simplex, aut pius concionator proferens ex inadvertentia, aut ignorantia aliquam propositionem erroneam, seu hæreticalem; quare taliter curanda est justa observatio præcepti denuntiationis, & poenitentia, ut fama innocentium, & piorum nequaquam periculo exponatur.

## PUNCTUM X.

## De suspectis de heresi.

154. Inq. Quid sit suspicio? R. est opinio mali ex levibus inditiis proveniens: quæ, si probabiles fuerint, faciunt suspicionem probabilem, & fundant præsumptionem, si vero aliter sint, dicitur iudicium temerarium. Suspicio ergo, seu presumpcio de hæresi est triplex, nempe levis, vehemens, & vehementissima, seu violenta. Dicitur levis illa, quæ oritur ex levibus conjecturis, & modica, aut

levi defensione tollitur: Aliqui exemplificant in celebrantibus occulta conventicula, alii in peierante frequenter,

155. Vehemens est, quæ oritur ex solidis argumentis, quibus plerumque concluditur, quod talia dicens, aut faciens sit hæreticus, ut qui non revelat hæreticos, sollicitantes in confessione, & alii similes. Vehementissima, seu violenta datur ex verbis, aut factis, quæ iudicem cogunt ad credendum hæc facientes, aut dicentes esse hæreticos: ut qui idola adorant, & communicant in ritibus, & sacris cum hæreticis, vel qui pertinaciter assereret, Christum non esse visibilem. Unde generaliter loquendo illi generant suspicionem in fide, qui exercent ritus, & ceremonias judæorum, sarracenorum, aut hæreticorum: qui committunt delicta opposita externæ confessioni fidei: qui irreverenter Dei sacramenta tractant: qui quomodolibet favent hæreticis, ut talibus, & impediunt Inquisitoribus contra eos procedere.

156. Præter recensitos autem sunt alii plures suspecti de heresi, ut in sacris ordinati, vel religiosi solemniter professi, si matrimonium contrahant: qui cum Sacerdos non sit, Missam celebrat, aut poenitentia sacramentum ministrare audeat. Confessarius de nomine complicitis interrogans poenitentem: sodomitæ, & bestializantes, quia male sentiunt de providentia divina, & de immortalitate anime. Superstitiosi, lamæ, sage, & malefici. Item qui diebus vetitis carnes sine causa fere semper comedunt. Si quis tantum diebus Dominicis jejunaret, aut Ecclesiæ jejunia parvi penderet. Qui sacrificio Missæ fere numquam assistunt, aut elevationi hostiæ genuflectere scienter omitunt; qui ritus Ecclesiæ negligunt, & derident. Qui blasphemant hæreticaliter. Hi, & alii hujusmodi sunt suspecti de heresi magis, vel minus juxta graviora, aut leviora indicia.

## PUNCTUM II.

## De libris prohibitis.

157. Innumera sunt edita decreta, quibus lectio librorum hæreticorum aliorumque de fide male sentientium sub gra-

vissimis poenis prohibetur. Pius IV. in Bulla cujus initium est: Dominici grægis: data 24. Martii ann. 1564. anathematizavit omnes retinentes, vel legentes libros hæreticorum, vel suspicionem hæresis habentes, quod alii Pontifices imitati sunt. In Hispania Tribunal s. Inquisitionis autoritate apostolica sibi commissa sedulo invigilat in eradicando ab agro dominico zizaniam librorum suspectæ doctrinæ, tum in edictis quamplurimis, tum maxime in decreto Inquisitionis generalis anni 1707. & confirmato 1747. ubi juxta regulam 3. expurgatorii prohibetur sub poena excommunicationis majoris lectio, vel retentio librorum cujuslibet hæretici de religione tractantium. Verum ex vi hujus prohibitionis non damnantur libri aliorum infidelium, licet hæresim contineant, aut de religione tractent, quia decretum solum de hæreticis loquitur ob periculum perversionis, & ad confusionem illorum. Unde nec prohibentur libri catholicorum, in quibus per ignorantiam, vel per malitiam aliqui errores inveniantur. Datur tamen obligatio illos denunciandi juxta regulam 12. expurgatorii, ut examinentur, & corrigantur. Idem dicendum est de libris hæreticorum, qui de religione non agunt, ut in supradicta 3. regula dicitur.

158. Dicitur librum de religione tractare, dum agit de scriptura sacra, de Theologia, mysteriis fidei, de cultu Dei, & sanctorum, vel de historiis monachorum, aut clericorum, non vero, si disserat circa historias prophanas, aut alias artes naturales. Caveas tamen accurate ab eis; nam, ut inquit perdoctus Caramuel, etiam libros grammaticæ, philosophiæ, aliarumque artium liberalium inficiunt hæreticorum suis erroribus. Latet ergo anguis sub herba. Nomine libri intelligitur etiam concio, oratio, epistola, vel disputatio hæretici continens hæresim, in quo dari potest parvas materias, quæ metaphysice assignari nequit. Paucas lineas assignant auctores sanioris doctrinæ. Et quælibet deliberata lectio a culpa veniali saltem non vacat.

159. Ad incurrandam censuram requiritur, ut quis scienter legat, & idem de aliis actionibus, unde necessaria est scientia

entia juris, & facti, nempe, quod lectio libri prohibiti est vetita, & huic librum esse hæretici. Easdem poenas incurrit, qui alteri librum hæreticum legendum tradit, ut lectionem audiat. Qui vero casualiter alium legentem audit, poenas in Bulla, & edictis contentas non incurrit. Qui dictos libros retinet quacumque ex causa, licet ad ornam, incurrit excommunicationem; ac etiam qui scienter legit, licet nihil intelligat, quia vere legit, quod est vetitum.

160. Ex constitutione Julii III. *Cum meditatio*, libri prædicti tradendi sunt *realiter*, & cum effectu Episcopis, aut Inquisitoribus sub poena excommunicationis, ideoque nullus propria autoritate eos comburere valet; nec tradere alteri habenti facultatem eos legendi. Verum hoc intelligitur de libris prohibitis sub excommunicatione, non de prohibitis absque ulla censura, quos licite quis poterit comburere, aut donare (non mutuare) habenti licentiam eos legendi. Licet sub hac prohibitionem non comprehendantur libri Maurorum, nihilomius Talmud, & alii codices eorum errores continentes ob periculum seductionis prohibiti sunt lege naturæ, non minus ac hæreticorum.

161. Insuper in Indice Tridentino, & Romano prohibentur alii libri, qui reducuntur ad tres classes. In 1. collocantur omnes libri Hæresiarum Lutheri, & Calvini, & similium, qui propter auctores proscribuntur, ideoque de quacumque materia agant, prohibiti sunt. In eadem classe continentur omnes libri hæreticorum, qui docent propositiones sapientes hæresim, temerarias, & alias similes, qui omnes libri editi, vel in posterum edendi prohibiti sunt sub excommunicatione reservata. In secunda classe collocantur libri catholicorum, qui prohibentur non propter auctores, sed pro-

pter doctrinam hæreticam, erroneam, vel suspicionem erroris generantem; isti prohibentur sub excommunicatione lata, non reservata. Ad tertiam classem pertinent plures alii libri in præfato Indice contenti. 1. tractantes de magia. 2. docentes astrologiam judicariam. 3. famam aliorum, aut honestatem, vel pudicitiam offendentes. Denique vetita est editio, vel lectio sacræ scripturæ in lingua vulgari, absque legitima facultate. Denique observandum est, libros proscriptos in uno idiomate, in omnibus esse *interdictos*, & *damnatos*: ut constat ex instructione adjecta regulis indicis autoritate Clementis VIII.

162. Inq. Quid agere debeant qui censores deputantur librorum? R. Imprimis debent esse provisi duplici sale requisito in iudice a Baldo in *l. 2. e. de sent. ex brev. recit.* dicente: *in mente iudicum duos sales requiri, scientiæ unum, ne sint insipidi, conscientia alterum, ne sint diabolici.* Itaque censores debent sufficienti peritia, & timorata conscientia polere; alias plures errores, & in justitias possunt committere. Unde oportet eos immunes, & puros ab omni passione, & respectu status, ordinis, aut personarum se exhibere, tamquam magistros veritatis, ac justitiae ministros. Solum debent inspicere merita operum, an doceant quidquam contra fidem, concilia, sanctos patres, aut bonos mores, vel contineant propositiones injurias contra personas in dignitate constitutas. Si nihil horum, sed doctrina sana in eis reperitur, ex justitia tenentur ea approbare. Ne sint sicut Juno, cujus injustitiam lepide carpit Juvenalis *Satyr.* 2. *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Vide Benedict. XIV. in Bulla, *solicita*, data 9. Jul. 1753. ubi laudat exemplum D. Thomæ in moderatione calami erga alios scriptores.

## TRACTATUS OCTAVUS

## DE SPE, ET TIMORE.

Cum timor sit velut quodam frænum, ne quis ex nimia spe in præsumptionem labatur, ideo utrique eundem dicamus tractatum, ductu D. Thom. qui de eis fusius agit *1. 2. q. 40. & seqq.*

## CAPUT UNICUM.

De spe, de vitis ei oppositis, ac de timore.

## CAPUT I.

De natura, & præceptis spei.

1. Inq. 1. Quid sit spes? R. est *virtus supernaturalis, qua speramus beatitudinem auxilio Dei consequendam.* Objectum ejus formale est Deus; cætera bona, qua a Deo speramus, sunt objecta secundaria. Est virtus theologalis, quia immediate respicit Deum, ut *nos beatificantem*, seu *dantem auxilia ad consequendam beatitudinem.* Distinguitur a fide, & caritate, quia habet objectum formaliter diversum: nam fides respicit Deum, ut *testificantem verum*, caritas, ut *in se bonum*, spes vero, ut *nobis bonum.* Non attingit perfectionem caritatis, ut ex se patet. Nec fidei, quia istius objectum utpote proprium intellectus, est universalius, & nobilius; spes vero recipitur in voluntate, cujus est attingere bonum.

2. Inq. 2. Quotuplex sit spes? R. duplex, *actualis*, & *habitualis.* *Habitualis* est habitus infusus Deo, ut faciliter possimus sperare in eo. *Actualis* est ipse actus, quo in Deo speramus, *Dices*: Objectum quo, seu motivum spei, est bonum arduum: erg. nequit dari facilitas ad illud consequendum. R. Conc. ant. & neg. seqq. quia licet bonum speratum sit arduum respectu nostræ imbecillitatis: non vero ex parte Dei auxiliantis; virtute enim auxiliorum Dei fit nobis facile, quod alias secundum se est valde ar-

duum, ut patet in sanctis, qui gaudent spe æternæ beatitudinis mira passi sunt, non solum faciliter, sed etiam hilariter.

3. Inq. 3. in quibus reperitur virtus spei? R. Reperiri in viatoribus justis, in animabus purgatorii, & etiam in peccatoribus fidelibus, si peccatum desperationis non commiserint: quia spes solum destruitur directe per desperationem, & indirecte per infidelitatem. Unde non reperitur in infidelibus, nec hæreticis: quia nequit esse sine fide, qua prædicti carent. Nec potest reperiri in damnatis, quia sunt in æternum desperati. In beatis autem non reperitur, quia sunt in possessione summi boni; & licet sperent gloriam corporis, non officit, quia hæc solum pertinet ad objectum secundarium, cum perfecte possideant primum. Potiori ratione non fuit spes in Christo Domino, quia a principio suæ conceptionis fuit beatus, & comprehensor, ut verus filius Dei vivi.

4. Inq. 4. An detur speciale præceptum affirmativum spei? R. affirm. constat ex Psalm. 4. *Sperate in Domino.* Et ex aliis locis sacræ pagine. Prob. ratione: quia virtus necessaria ad justificationem est de præcepto divino; sed talis est virtus spei, cum nullus possit justificari absque spe: ergo datur præceptum de illa. Contat pariter ex prima propositione damnata ab Alexandro VII. Dantur etiam præcepta negativa spei, quæ obligant semper, & pro semper.

5. Inq. 5. Quando obliget per se præceptum affirmativum spei? R. Obligat per se quinque temporibus. 1. In ingressu morali usus rationis. 2. Semel saltem in anno. 3. Quando urget gravis tentatio contra spem, quæ sine ejus actu vincit non potest. 4. In articulo mortis. 5. Quando infidelibus primo sufficienter proponitur fides: ad quod reducit obligatio eliciendi actum spei ab eo, qui in desperationem incidat. Obligat per accidens, dum quis cogitur poenitere de vita